Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

si quid dicunt talia ad quorum similitudinem etiam ista inferiora creaturae
gratia quamvis longe remotissime facta sunt non debent eam cuiquam sobriam
perturbare prudentiam, ne cum vanum devitat horrorem in perniciosum
incurrat errorem. Assuescat in corporibus ita spiritalium reperire vestigia
ut cum inde sursum versus duce ratione ascendere ceperit ad ipsam
incommutabilem veritatem per quam facta sunt ista perveniat, non secum ad
summa perferat quod contempnit in infimis. Nec enim erubuit quidam uxorem
sibi eligere sapientiam quia nomen uxoris in prole gignenda corruptibilem concu
bitum ingerit cogitanti, aut vero ipsa sapientia sexu femina est quia femi
nini generis vocabulo et in greca et in latina lingua enuntiatur.

Quod homo non ad unius in trinitate personae sed ad totius trinitatis sit imaginem creatus.

NON igitur propterea respuimus istam sententiam quia timemus sanctam .VI.
et inviolabilem atque incommutabilem caritatem tamquam coniugem dei
patris de illo existentem sed non sicut prolem ad gignendum verbum per quod
facta sunt omnia cogitare, sed quia eam falsam divina scriptura evidenter
ostendit. Dixit enim deus: Faciamus hominem ad imaginem et similitu
dinem nostram. Paulo post autem dictum est: Et fecit deus hominem ad imaginem
dei. Nostram certe quia pluralis est numerus non recte diceretur si homo ad unius
personae imaginem fieret sive patris sive filii sive spiritus sancti. Sed quia
fiebat ad imaginem trinitatis, propterea dictum est ad imaginem et simi
litudinem nostram. Rursus autem ne in trinitate credendos arbitraremur
tres deos cum sit eadem trinitas unus deus: Et fecit deus, inquit, hominem ad imagi
nem dei, pro eo ac si diceret ad imaginem suam. Sunt enim tales usitatae in illis litteris
locutiones quas nonnulli etiam si catholicam fidem asserunt non tamen diligenter
advertunt ut putent ita dictum Fecit deus ad imaginem dei quasi di
ceret fecit pater ad imaginem filii, sic volentes asserere in scripturis sanctis
deum dictum etiam filium quasi desint alia verissima et manifestissi
ma